

22699. v. D. f. 2

8° br


TRACTATUS  
DE  
CORTICE CHINAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS.



Auctore

D<sup>r</sup>e. Nicolao Valentino Sernitz.



**TRAGTATUS**

D E

**CORTICE CHINAE.**

**DISSERTATIO INAUGURALIS.**

Auctore

**Nicolao Val. Sernitz,**

Medicinae et Chirurgiae Doctore, artis Obstetriciae et Ophthalmiatricae  
Magistro, nec non c. r. Medico Castrensi superiore.



**Vindobonae.**

TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

**1841.**

# ПАИНО ПОЛЯО

Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem,  
obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam,  
et naturae suae omnia.

*Plinius Hist. Nat. Praef.*

| N=030006679

REVERENDISSIMO AC AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

**GEORGIO PAUSCHEK,**

CAESAR. REG. CAPITULI LABACENSIS CANONICO ET DIRECTORI  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE IN LYCEO LABACENSI etc. etc.

**VIRO**

**PIETATE IN DEUM, FIDELITATE IN PRINCIPEM**

**INSIGNI,**

**HUMANITATE AC LIBERTATE,**

**PRAECLARO,**

**BONARUM ARTIUM ET SCIENTIARUM FAUTORI, NEC NON MAECENATI  
OPTIMO BENIGNISSIMO PRIMOS HOS LABORUM MEDICORUM CONATUS  
IN PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS ATQUE CULTUS AETERNI.**

**Monumentum**

pia cum devotione sacrat

gratissimus  
**Auctor.**

**Reverendissime ac Spectabilis Domine,  
Vir summe ac integerrime!**

Ingruit tandem ter optata dies haec mihi summe solennis, qua ardentissimos pietatis sensus atque gratissimos in Te, Vir Reverendissime! animi mei vota palam confitendi occasio opportunissima mihi praebetur. Magna sunt Tua merita in Patriam universam, maxima vero est animi Tui clementia et benignitas, qua me semper prosequi dignatus eras. Suscipe igitur quaeso benigna et placida fronte tenues hasce, quas Nomin e Tu o condicari licuit, laborum meorum primitias, ut candidum indebilis erga Te observantiae pignus sempiternum; graviora exsequi vires meae non concesserunt. Nil mihi magis optatum esse potest, quam si haec

tenera dona mea **Tibi**, Reverendissime! placere obtigerit; beatum me reputabo atque omnibus adnitar viribus, ne tanto favore indignus inventiar, semper excelsam nominis Tui memoriam servaturus.

Dabam Vindobonae Mense Maji 1841.

**Tibi**,

Reverendissime ac Amplissime Domine!

devotissimus  
**Nicolaus Sernitz.**

## Nomenclatura.

Cortex Chiae, cortex peruvianus, cortex febri-fugus, pulvis comitissae, pulvis patrum, pulvis Jesuitarum, Quinquina. — Gallis: Quinquine, vel écorce du Peron. — Italis: China, corteccia del Peru. — Anglis: Peruvian bark, Jesuits bark. — Germanis: Chinarinde, Fieberrinde, peruvianische Rinde vocatur; ab Americanis vero Gannaperide vel etiam Cascarilla nuncupatur.

## Historia.

Duae leguntur circa inventionem corticis Chiae traditiones, ab auctore *de la Condamine* communicatae, et quidem alii referunt: efficaciam illius in morbis a leonibus innotuisse, qui, si febre correpti fuerunt, ut sanarentur, corticem arboris Cinchonae instinctu ducti masticare soliti sunt. — Alia vero pars narrat: Terrae motum regionem circa *Loxam* quondam adeo vehementer concussisse, ut arbores, ripam lacus non procul ab urbe *Loxa* distantis obsidentes, in aquam ejus praecipiter ferrentur, fortuito rusticos febrili affectione labrantes ex hac aqua virtute corticis impregnata ad sitem fallendam hausisse, atque inde postmodum convalescisse. Quidquid autem sit, extra dubitationis aleam possum est, Peruvianos jamjam vires illius medicatas cognovisse eodum, ubi patria illorum ab Europaeis fuit detecta, quibus tamen easdem sollicite occultaverunt.

Efficax hoc remedium exoticum casu in Europam per-  
venit, cuius sequens est factum: Anno 1638 Comitissa  
*del Cinchon*, uxor proregis regni Peruviani, a pertina-  
ci, qua laboravit, febri tertiana, per urbis *Loxae* praefectum  
nomine *Corregidor*, de virtute corticis febrisfugi  
ab Indo quodam edoctum feliciter liberata fuit, unde no-  
men *pulveris Comitissae*; reduce abhinc prorege in Hispaniam  
a. 1640 hujus archiater *Joannes de Vega*  
magnam corticis hujus quantitatem secum tulit, cuius  
vires antipyreticae prosperrimo cum successu plurimis-  
que comprobatae sunt experimentis; a. 1649 patres e  
societate Jesu Chinam ex America Romam transtulerunt,  
atqne sub forma pulveris fratres inter et pauperes gratis  
distribuerunt, unde nomen *pulveris Jesuitarum seu pa-  
trum* originem traxit. Optime vero circa egregii hujus  
remedii divulgationem meritus est Cardinalis *Joannes  
de Lugo*, qui tunc temporis Galliam petiit, cuius rex  
*Ludovicus XIV.* febri laborabat intermitte, aucto-  
ritatem corticis vindicaturus: iter ejus optato corona-  
batur effectu, rege etenim sanato China per totam fere  
Europam qua specificum contra febres sub nomine *pul-  
veris Cardinalis* decantabatur.

Eodem anno cura Pontificis *Innocentis X.*  
Romae instructio prodiit circa usum corticis Chiae, in  
qua dosis ad drachmas duas restringebatur, quae su-  
mi debebant ante usum evacuantium et accessum febris  
immediate. Ast mox insurrexerunt medici, divinas corti-  
cis dotes valdopere oppugnantes, inter quos praeci-  
pue *Chiffletius*, Archiater Gubernatoris Belgii Archidi-  
ducis *Leopoldi*, asserebat, quod recidivae frequentis-  
sime ejus usum sequantur, quod hoc remedium valde  
siccum et simul calidum sit, hinc intestina quasi urat,  
consumendo fluidum vitale, quod typum febrium in-  
termittentem in continuum vertat, et similia. Nec de-  
fuerunt in dedecus artis medicae ejusmodi avari Medici,  
qui usum corticis ideo detestabantur, quod eos lucro e

cura longiori illis ubertim affluente extemplo spoliare videbatur. Tali pacto non multum absuit, quod divinum hoc remedium oblivioni penitus traditum fuerit, nisi Robertus Talbot, anglicus pharmacopola, eodem sub titulo arcani usus fuisse, quo febres anno 1671 in Anglia, cum primis ad oras maritimis Essex epidemice saevientes insigni fugaverat victoria; anno 1679 Parisios profectus, ibi arcani sui famam prosperis in debellandis febribus successibus divulgavit, cum primis per sationem Principis Condé, Financiarum Ministri Colbert, imo etiam, ut aliqui referunt, ipsius Delphini Ludovici XV., in cuius actus memoriam carmen sub nomine: „*Poema de Quinquina*” typis edebatur; quo factum est, ut Ludovicus XIV. summi medicamenti notitiam diutius latere nolens, illud a supradicto anglo duobus millibus Ludovicorum aureorum emeret, atque publici juris fieri juberet; ab hoc tempore persona arcani ablata cortex peruvianus ad nostra usque tempora semper qua praestantissimum pharmacon celebratur; maxime vero de ejus propagatione meriti sunt: Sydenham, Tissot, Werlhoff et Fr. Hoffmann; sed et nunc quoque habuit suos adversarios, inter quos praecipue Ramazzini, Stahl et Boerhaave referuntur, quorum postremus dicere consueverat, corticem Chiae majores in genere humano edidisse strages, quam bella Ludovici XIV.

## Physiographia.

Cognitio botanica corticis peruviani exacta inchoat primum cum medico de la Condamine, qui anno 1738 invincibilibus probavit argumentis, quod nomen *Euina* ex antiquissimorum Peruvianorum lingua hauriendum ejusdem sit significationis ac hispanica vox *Mantilla*, nempe pallium arboris, ergo cortex, unde etiam nomen *Quina Quina* seu *cortex omnium corticum*; hinc nos quo-

que de cortice absque epitheto disserentes semper corticem peruvianum intelligimus inter alios auctores cum primis **Mutis**, **Rust** et **Alex.** ab **Humboldt** accuratam ejus descriptionem assignaverunt. **Linne** in gratiam comitissae *del Cinchon Cinchonam* adpellavit atque in systemate suo sexuali *Pentandriae monogyniae*, **Ant. Jussieu** e contra in familia naturali *Rubiaceis* inseruerunt.

Cortex *Chinæ* bene distinguendus est ab analogo ei cortice generis *Exostemma*, uti et ab aliis corticibus, sub falso nomine *China* in commercium venientibus, a quibus omnibus per praesentiam alcaloideorum suorum principiorum essentialiter differt, quo spectant: *China nova* a *Portlandia grandiflora*, *China St. Luciae* ab *Exost. floribundo*, *Ch. bicolorata* etc. Ingens quidem est caterva specierum corticis febrifugi, nam jam celeb. a *Berger* in opere suo: „Versuch einer Monographie der *China* 1826“ viginti septem noverat, in praxi tamen medica usu receptum est, tres solum species distinguere, quas etiam *Pharmacopoea Borussica* recepit, nempe: *Cortex Chinæ fuscus — ruber* et *regius cum flavo*; — *Austriaca vero/rubrum* omit-tens duos solum in usum vocat.

1. *Cortex Chinæ fuscus vel officinalis*, *Cortex peruvianus — die braune, officinelle oder Peruanische Rinde* — teste **Humboldt** e *Cinchona Condaminea* originem trahit. Occurrit in frustis utroque latere plus minus convolutis, a calamo scriptorio ad digitum parvum crassis, siccis et duris, quorum superficies externa aspera et rugosa copiosis fissuris transversis notata et potissimum lichenibus albis obsita, interna fusco-rubri, fere cinnamomaei col., fractura laevis solis radiis exposita puncta et granula ostendit splendida, resinosa, minime fibrosa; odoris aromatici, sap. amari, leviter aromatici et adstringentis: pulvis, in quem tunditur, est. col. cinnamomei, infusum aquosum frigide paratum parum flavescit;

decoctum, quamdiu calet, col. est fusco - rubicundi, non turbidum et charta coerulea exploratum acidum liberum prodit; refrigeratum turbatur, atque col. offert flavo - albicanem floccosque albidos ad fundum vasis dimittit; inter reagentia infusum gallarum praecipitatum roseo - griseum sales ferri oxydulati viridicant, et tart. emeticus impure album gignunt. Abundat principio Cinchonino, Chinini vero exiguum solummodo tenet quantitatem. In commercio sub nomine Cort. fusti venduntur: *Ch. Guanuco* vel *Huanuco*, ut optima — *Ch. Huamalies*, *Ch. Loxa*, *Ch. Jaen* et *Ch. Pseudoloxa*.

2. *Cortex Chinae regius*, die *Königs-Chinarinde*, e *Cinchona cordifolia* vel *lanafolia* *Mutis?* repeatenda offert frusta magis lignea, minus convoluta, vel etiam plana, crassiora epidermide plerumque privata, in longum et transversum fissa, col. ab extus fusci, ab intus rubro - flavescentis, od. *Chinae proprii*, sap. magis amari et adstringentis, quam cortex fuscus, color pulveris saturate cinnamomeus, infusum aquosum frigidum limpidum est et pallide rubro - flavescens, decoctum calidum flavo - rubescens, refrigeratum turbatur atque colore pallidiorem induitur. Parum de Cinchonino, insignem vero Chinini copiam continet.

Differt ab hoc Cortice *China flava* vel *de Carthagena* — *gelbe Chinarinde* — a nonnullis *Chinae regiae* identica habetur, ast habitus externus, et analysis chemica differentiam utriusque clare ostendunt; in eo duntaxat cum *China regia* convenit, quod majorem Chinini, quam Cinchonini copiam offerat.

Duae sunt in commercio *Chinae flavae species*: *dura* et *fibrosa*, quarum aliam a *Cinchona cordifolia*, aliam a nedum definita specie derivant, licet verisimilius sit, utramque a *Cinchona cordifolia* provenire. — *China flava dura* vel *de Carthagena dura* sistit frusta plus minus convoluta, aut etiam magis aperita et plana, quatuor usque decem pollices longa,

dimidiam usque duas lineas crassa, epidermide albo-cinerea, hinc inde priva, coloris fusco-flavi, texturae fibrosae, odoris debilioris, sap. amari vix adstringentis. — *China flava fibrosa* vel de *Carthagena fibrosa* habitu priori similis, nonnisi majore frustorum minus convolutorum mole et colore magis flavo ab eo differt. Pulvis utriusque flavo - cinnamomeus, infusum aquosum pallide e rubro-flavescens, decoctum rubescens, post refrigerationem lactescens et sedimentum aurantiacum deponens; a glutine animali et tartaro emetico non turbatur, a ferro muriatico oritur praecipitatum viridicans, ab infuso gallarum turbidum.

3. *Cortex Chinæ ruber* — rothe Chinarinde e *Cinchona oblongifolia*, vel juxta alias *grandifolia* derivanda, occurrit in frustis plerumque majoribus, latioribus, convolutis et planis, tribus stratis constans, quorum externum tenue, rugosum, fissum, rubro-fuscum, vel a lichenibus, quibus obsidetur, cinereum, medium crassius granosum, profundius tinctum et intimum fibrosum magis rubescens, odoris debilis, saporis magis amari et adstringentis ac China fusca. Et Chininum et Cinchoninum abundans continet; in pulverem tritum rubrofuscum, infusum aquosum flavescentem habet colorem, decoctum bruneo - rubrum, refrigeratum pallidorem et sedimentum flavo - rubrum deponit; a tartaro emetico oritur praecipitatum flavum, a ferro muriatico viridescens, ab infuso gallarum flavicans, a glutine animali nullum.

### Analysis chemica.

Ab omni quidem tempore mixtio chemica corticis Chinæ quam diligentissime inquirebatur, ast clariorem notionem ejus dederunt recentioribus primum temporibus Fourcroy, Vauquelin, Trommsdorff et Hermbstädt, qui demonstrarunt, virtutem corticis hujus medicam in tribus praecipue elementis sitam esse et quidem:

1. *Principio proprio Chinaceo*, quod pro specie principii extractivi declaraverunt, atque evaporatione decocti saturati praeparaverunt. Substantiam hanc omnibus reliquis in China detectis praecipue efficacia contra febres multum excellere dicunt eo, quia illae corticum species, quae majorem illius continent quantitatem e. g. China regia, reliquas virtute antifebrili superent.

2. *Acido chinico*, oxalico, tartrico et malico summe analogo, non ut puro, sed partim illi principio chinico, partim calci nupto, quocum salem exhibit sub forma crystallorum foliacearum eliciendum, experientia teste contra febres parum valere videtur.

3. *Principio scytodephico vel coriaceo*, quod jam e sapore adstringente, nec non aptorum reagentium usu dignoscere licet; nec hoc sejunctum occurrit, verum principio chinaceo arcte ligatum, atque in ipso hoc connubio Chine efficacia consistere videtur. Elemento huic prae aliis virtus tonica et antiseptica adscribitur, quae causa rursus Chinam rubram, majore illius copia pollentem viribus antisepticis prestare credunt.

Reliqua, quae China adhuc continet, elementa sunt: *Materia sebacea viridis chlorophyllo tincta*, *resina amara*, *materia colorans duplex: rubra et flava*, *gummi cum amyli parca copia*, denique *fibra lignea*; his nulla adjudicatur specialis virtus medica, quare illarum in describenda justa qualitate atque efficacia Chine specierum nulla ratio habetur.

Hodiernis denique Chemiae cultoribus, qui detectis substantiis alcaloideis novam hujus scientiae aeram fundarunt, laus reservata fuit et in cortice Chine ejusmodi elementa reperiendi, maxime hoc respectu memoratu digni Viri sunt: *Pelletier et Caventou* (*Annales de Chemie et de Physique*), *Pfaff* (*Berliner Jahrbücher der Pharmacie*) et *Heissner* (*Schweigger's neues Journal der Chemie*), duo hucusque innotuere in variis Chine speciebus alcaloidea,

quorum unum *Cinchoninam* dictum in cortice Chinate fusco, alterum *Chininam* vocatum in China regia clar. Pelletier et Caventou invenerunt, atque utriusque huic substantiae teste experientia virtus Chinate febri-fuga per excellentiam competit.

*Cinchonina* juxta normam a clariss. Pelletier propositam sequenti modo paratur. Cortex Chinate fusca in pulverem redactus cum acido muriatico aqua multa diluto coquitur, decocto filtrato abundans additur magnesia usta, praecipitatum inde exortum cum aqua bene edulcatum ac siccatum cum alchohole bulliente tractatur, in quo *Cinchonina* solvitur, quae dein alchohole per evaporationem abacto sub forma crystallorum obtinetur: haec adhuc flavescentes in fluido acido multum diluto solvuntur, ut addito carbone animali a materia colorante liberentur, quo facto magnesia usta et alchohole, ut prius, in auxilium denuo vocatis, puriores habentur crystalli; hac ratione ex unciis 16 corticis 15, 36 grana *Cinchoninae* obtinentur.

Sistit prismata quadrilatera aut spiculas decolores, vel albas, ex aere atmosphaericо acidum carbonicum absorbet, in 2500 partibus aquae bullientis solvitur, in frigida fere insolubilis est, unde amarum saporem post longius solum tempus excitat; in alchohole praecipue servido facile solvitur, quae solutio admodum amara, more alcalium in succos plantarum reagit, difficilius in aethere et oleis tam pinguibus, quam aethereis solvitur, igni exposita, antequam liquefacit, decomponitur, et pro parte sublimatur. Cum acidis compluribus sales format plus minusve solubiles saporis intense amari, qui per alcalia resolvuntur.

*Chinina* eadem ratione, ac *cinchonina*, e cortice Chinate regiae educitur, atque refert massam albicantem forma crystallina destitutam, spongiosam, in aere atmosphaericо constantem, in 200 partibus aquae calidae, in aqua frigida fere insolubilem, in alchohole facillime, pa-

rum in aethere et oleis aethereis solvendam; saporis intensissime amari, manifestat reactionem alcalinam; calefacta liquescit, et refrigerata in massam resinae ad-instar electricam mutatur; cum acidis constituit sales perfecte neutros, qui eo a salibus cinchonicis distinguuntur, quod in aqua facilius solvantur, formam induant crystallinam manifestorem, atque sapore intensius amaro gaudeant; alcalium ope etiam resolvuntur.

### Virtus medica.

Plures sunt virtutes, eaeque insignes remedii, de quo agimus, principalis autem est ea roborans; est princeps omnium Roborantium vegetabilium et subprincipes, roboran non tantum gradu, sed etiam in dolo, atque modo, quo ejus virtus evolvitur singulare, eatenus enim alia Tonica vigori organismi prospiciunt, quatenus vitam vegetativam exaltant, et vitam animalem non nisi secundario modo afficiunt, hoc non obtinet apud remedia Cinchonacea, quorum virtus alio modo evolvitur, nam iis adhibitis vita animalis notabili gradu prius emendatur, antequam alienationes vitae plasticae perfectae sint; est igitur *Roborans pro utraque vita tam animali, quam vegetativa*, et difficulter solum distinguere licet, an vitam incitativam vel plasticam eminentius feriat. Spectata virtute sua roborante medium tenet locum inter amaro-adstringentia et ferrum, utriusque vero generis pharmaca sua volatili virtute superat. Virtus corticis Chiae roborans et excitans exserit se ante omnia in *systema assimilationis* inferioris et altioris, digestionem sanguinis, elaborationem totamque vitam plasticam adauget; colliquationem autem restringit, hinc est antisepticum; porro in *systema irritabile* vel musculosum, cuius robur miro modo intendit, denique agit etiam in *systema nervorum*, cuius functionibus cunctis vim majorem et constantiam conciliat, simul nimiam illorum agilitatem et sensilitatem imminuit.

Praeter virtutem *roborantem*, *antisepticam* et *exaltantem* convenit et *virtus febrifuga* per excellen-  
tiam ita, ut cum nullo alio, nec Arsenico quidem com-  
parari possit, hinc bonum ejus surrogatum nunquam re-  
periri potest. Multa pro et contra hanc vim medicatam  
exarata fuerunt; credunt aliqui, quod China tantum pa-  
roxysmos febris intermittentis supprimat, et febrim tan-  
tum obruat, non vero sanet et mutationem nosologicam  
febrim parentem et sustinentem deleat, atque in eo  
quaerunt causam frequentissimarum recidivarum post  
Chinae usum frequentium; ast injusta est haec argumen-  
tationis species, nam recidivae febris intermittentis post  
omne medicamentum observantur; hoc est morbo illi  
characteristicum, quod dispositionem pro se augeat;  
accedit, quod nec revera recidivae dici possint, nam  
frequentissime inducuntur e causa tam efficaci, ut tam-  
quam novae evolutiones considerari debeant.

Ut vero multiplicem hanc suam virtutem medicam  
China exerere possit, summa momentorum usum ejus  
contraindicantium habenda erit ratio.

*Momenta, quae usum Chiae prohibent, sunt:*

1. *Status vitae incitativae exorbitans atque exal-  
tata, vitalitas functionum vitae vegetativae;* hinc omnis  
diathesis inflammatoria, Plethora, Orgasmus, Conge-  
stio et Haemorrhagia activa, omnis item phlogosis, sta-  
tus inflammatorius et sthenicus organorum.

2. *Sensilitas et irritabilitas alte evagans*, licet  
cum debilitate erethistica totius organismi, h. e. reci-  
piendi facultate magna, reagendi vero potestate infracta  
incedat, ergo Erethismus nervorum et vasorum adau-  
ctus, quem China adauget. Si hoc in casu Cortex adhi-  
beri debet, prius Erethismus est componendus, fit hoc  
remediis partim narcoticis, partim vero acidis, dein  
dantur Roborantia mitiora, tandem cortex Chiae con-  
cedendus.

3. *Debilis vitalis maxima*, praecipue illa, quae

celerrima capit incrementa et cum continua febri adynamica decurrit, qua sufficiens et necessarius in corticem, hujusque actionem renis tollitur.

4. *Omnis Saburra primarum viarum ut et debilitas harum magna*, praecipue erethistica; hinc primae viae sint ab omnibus sordibus mundae, vires digestivae validae.

5. *Pertinax et habitualis alvi obstipatio*, abdomen pessime afficitur per corticem Chine, constipatio increscit, sanguis allicitur ad abdomen, hujus circuitus infringitur, oriuntur omnium organorum infarctus, stases, et obstructiones dirissimae.

6. *Organorum abdominalium irritatio, vel inflammatoria vel nervosa.*

7. Specifice usum Chine vetat *Erethismus pulmonum*, hic quoque allicitur per eam sanguis ad pulmones, sequuntur facile congestiones et phlogoses gravissimae; hinc non est ei locus in phthisi pulmonum ulcerosa et tuberculosa. Denique

8. Peculiaris *Idiosyncrasia*, qua praesente incassum China datur; est autem illa in variis organis sita; alias a ventriculo non fertur, oritur, ea assumta, nausea, vomitiritio, vomitus et sensus pressionis in scrobiculo cordis percipiendus; alias in intestinis et tunc oritur status gastrico - saburrallis, diarrhoea, alvi constipatio; alias denique in systemate vasorum et tunc a minima dosi sequitur febris, vel jam praesens acceditur; imo sunt saepe homines, qui pro una specie Chine tantum Idiosyncrasiam habent.

### Usus medicus.

Ob multas nunc enumeratas virtutes medicas cortex Chine in longe plurimis morbis, tum vitae animalis tum etiam plasticae, adhiberi solet; ita ut vix detur morbus, in quo certis sub circumstantiis salutares a

**China effectus exspectare fas non esset; notatu tamen dignissimae morborum ab ea debellandorum formae sunt sequentes:**

**1. *Febres intermittentes legitimae*, h. e. exclusis illis speciebus, quae Chine applicationem aut prorsus interdicunt, aut majorem saltem in ejus usu circum-spectionem expostulant, omnis complicationis omnisque praevalentis characteris inflammatorii, aut gastrici expertes; eo magis morbi hi usui Chine conveniunt, quo magis morbus ipse adynamicus, quo simplicior ejusdem character, quo magis atonia ejus causa, quo magis normae conveniens typus, quo purior apyrexia, quo distinctior paroxysmus, et denique quo clarius nitus criticus excretione morbi productorum, forma sudoris aut urinarum, sese manifestat. Subitum usum Chine efflagitant febres intermittentes *duplices* et *duplicatae*, febres *subintrantes*, sub quibus energia vitalis in dies magis magisque exhauditur; praecipue autem febres *pernicio-sae*, quibus symptomata periculosa adsociantur, e. g. febres comatosae, soporosae, apoplecticae, denique *lar-vatae*, quae sub schemate aliquo adparent, uti cephalalgiae, colicae, convulsionum, asthmatis etc.**

**2. *Febres continuae*, cum primis illae, quibus universalis atonia, indeque nata adynamia tam in systemate irritabili, quam in sensibili nec non colliquatio universalis consociantur; hinc *febris nervosa mera*, cum primis *lenta*, absque omni systematis sanguiferi, aut organi eiusdam concitatione phlogistica, atque perstante adhuc aliquae assimilationis energia; adhuc magis convenit in *febribus putridis* et similibus inflammationibus, ubi status phlogisticus in alium e diametro oppositum, utpote resolutionis putridae atque irritabilitatis exhaustae transit: hinc maximo cum effectu adhibetur in *Angina gangraenosa*, *aphthis putridis* et variis exanthematibus, e. g. *variola*, *morbillos*, *scarlatina* in characterem putridum transeuntibus, denique in gan-**

graena cujuscunque partis organicæ; demum magnas sibi cortex peruvianus meruit laudes in *febribus* sic dictis *hecticis*, iis praesertim, quae e febribus continuis, profusis sanguinis, et aliorum humorum nobilium, ut seminiis, jacturis originem ducunt, aut senectutis deplorandum hinc inde sistunt consortem; minori cum securitate propinatur cortex in febribus hecticis ex alienata organorum vitae plasticae metamorphosi exortis, uti in atrophia mesenterica et phthisi pulmonali; in priori casu glandularum meseraicarum impermeabilitas atque digestionis languor, in altero vero status inflammatorius, in organo suppurante adhuc perstans, sistunt momenta contraindicantia.

3. Adhibetur in *Cachexiis*, fibrae laxitati, aut humorum resolutioni junctis, hinc in *scrofulis*, *rachitide*, *carie*, *Spina bifida*; porro in *hydropis* speciebus, quae in atonia fundatae e febribus intermittentibus, haemorrhagiis, aliisque humorum plasticorum evacuationibus originem trahunt; in *helminthiasi* plurimum facit ad laxitatem, quae morbo huic quam maxime favet, corrugendam; egregium denique est remedium in omni resolutionis *scorbuticae* gradu et forma, minor vero illius in sanandis Ictero, Arthritide, Syphilide et Impetiginibus virtus.

4. Summae utilitatis est medicamentum in *Prostviiis* tam cruentis, quam mucosis, serosis et aliis, sed tantum *passivis*, i. e. illis, quae ex atonia exoriuntur; hinc laudatur in variis menstruationis anomaliis, minus in haemorrhoidibus, cautissimus vero fiat ejus usus in Pneumorrhagiis, epistaxi, haematuria atque haematemesi, tandem optimo coronatur eventu applicatio corticis in omnibus sudoribus profusis inque nimia lactis, seminis virilis et saliva secretione.

5. Frequentissime post febres intermittentes usurpatum *China* in vasta *Nevrosium*, morborum omni respectu dignissimorum, classe, cumprimis vero in tali-

bus systematis nervosi affectionibus, quae periodico typo adstringuntur; hinc in *Epilepsia, Chorea St. Viti,* in variis Nevralsgiis typicis: *Cephalalgia, Prosopalgia, Odontalgia, Cardialgia, Colica, Asthmate spasmodico,* denique in *Hysteria et Hypochondria.*

6. Facienda quoque est mentio de cortice Chineae qua remedio roborante in *Cura convalescentiae* post morbos graviores, sive acutos sive chronicos, in qua eo magis praestat, quo plus fibra relaxata, viresque musculares et nervosae debilitatae fuerint, quo tamen in casu semper organis digerentibus et assimilantibus plus minus languentibus, nimisque exaltatae sensibilitati nervorum adaptandus est. Denique

7. *externe* China qua remedium tonicum adstringens, atque suppurationem adjuvans, haud exiguae sibi meruit laudes, quare tantus tamque beneficus illius usus in variis *prolapsus* speciebus, *tumoribus oedematosis*, in *ulceribus atonicis*, laxis, praesertim scorbuticis et scrophulosis, in *contusionibus cum nisu in gangrenam*, nec non in *decubitu gangraenoso, Carie et Necrosi.*

### Ratio applicandi.

Diversae sunt *formae medicae*, quibus celebre hoc pharmacon organismo aegro adaptatur, inde a mi-  
tissimo inchoando sequenti ordine se excipiunt.

1. Levissima forma est ea: *Infusi Chineae aquosi frigide parati*: continet partes aromaticas, volatiles, substantiam extractivam amaram, atque exiguum principii adstringentis quantitatem; datur nonnisi aegris, qui ob magnam debilitatem vel nimiam sensitatem aut languorem digestionis fortiora difficulter ferunt. *Paratur* ex *Uncia* una *corticis Chineae* ad libram unam aquae frigidae infusione per nycthemerum protracta, atque colatura filtratae vasculum *coffeanum* dimidium omni bivel trichorio exhibetur.

2. Jam plures partes efficaces extrahit *Infusum Chiae aquosum calidum*, quod, principiis fixis adstringentibus ditius, virtutem Chiae roborantem majori in gradu evolvit. *Fit* eodem modo, nisi quod aquae frigidae loco sumatur fervida — dosis eadem.

3. *Infusum Chiae vinosum* simillimo modo cum generoso vino quodam paratur maceratione per duas, tres dies continuata; quantitas datur eadem. Jam ad fortiora pertinet Chiae praeparata, praeter roborantem habet quoque et virtutem stimulantem, hinc aegris nimis sensilibus et viris irritabilibus minus convenit.

4. *Decoctum Chiae majorem*, quam infusa principii scytodephici, minorem vero elementorum volatilium atque resinosorum hisque conjuncti alcaloidei quantitatem continet; hinc ibi tantum adhibendus, ubi roborare vel adstringere scopus medicus est, minime vero convenit febribus intermittentibus aliisve morbis periodicis. *Paratur* coquendo pulveris corticis unciam dimidiad aut integrum cum sufficienti quantitate aquae fontanae per dimidiad vel integrum horam ad colaturam unciarum octo vel librae unius. Adhuc efficacius fit, si pauxillum acidi muriatici aut sulfuricae aquae additur, quae dein plus principiorum alcaloideorum extrahit.

5. Majoris adhuc vis medicae est *Infuso-decoctum*, quod partes Chiae volatiles et fixas in se unit. Denique

6. *China in substantia, seu forma pulveris* omnes in se recludit virtutes medicas; hinc efficacissimam sistit formam medicam, attamen ob copiosam, quam tenet, fibram ligneam, difficulter digerendam, magnam exigit apparatus digestorii activitatem vitalem. Sumitur pulvis alcoholisatus, aut ut nonnullis placet, ruditer tusus; adultis datur scrupulus semis usque drachmam dimidiad pro dosi, ter aut quater de die repetenda, addito semper ad digestionem facilitandam remedio aliquo

aromatico, uti: calamo aromatico, pulvere cinnamomi, corticum auranticorum, citri etc., quibusdam in casibus idem pulvis in formam electuarii, boli, trochisci, aut pillularum redactus porrigitur.

Peculiarem respectum meretur modus pulverem corticis peruviani in febribus intermittentibus subministrandi. Quo acutior et magis periculosus febris decursus, eo majores sint singulae Chine doses, eoque minoribus propinentur intervallis; in febri quotidiana statim post paroxysmum perfecte finitum drachma dimidia ad integrum datur, post duas horas dosis repetitur, ita, ut tempore apyrexiae uncia semis ad minimum consumatur; in tertiana pertinaci integra, in quartana, sesquialtera aut duae subministrantur, majoribus intervallis inter singulas doses positis; perniciosae, larvatae, et rebelles febres intermittentes majores haud raro expostulant Chine quantitates; valet id cumprimis de *methodo praevertente et confundente* — abactis jamjam febribus intermittentibus nequaquam mox cortex febifugus seponitur, sed adhuc aliquod per tempus continuatur.

### Praeparata.

Olim infinita habebantur praeparata Chine in pharmacopoliis adservari solita, nunc pauca habemus, sed egregia; et quidem:

a. *Extractum Chine frigide paratum*, vel *extractum Garayense*, aut *Sal essentiale Chine*; fit corticem Chine fuscum per plures dies in aqua macerando, tandem colatum in consistentiam extracti; parva est ejus efficacia, et magnum pretium minus tenet partium efficacium, cum potius pigmentum et gummi, quam Tanninum et sales Chine extrahantur; hinc rarissime aut nunquam in usum trahitur; datur infantibus, quibus bene conducit, tum quia gratius est, tum quia facilius

digeritur, et alvum non stipat, ad scrupulum unum, adultis ad drachmam unam de die forma solutionis.

b. *Extractum Chinac aquosum*, paratum e decocto concentrato inspissato; remedium roborans quidem mitius, sed efficax, ast tum a mala ratione parandi, tum ab adulteratione infidum; est consistentiae mellis spissioris, col. pulchre bruneo-rubri, odoris proprii chinacei, sap. intensi chinacei; ob magnum pretium raro adhibetur, in iis solum casibus, ubi credimus, efficaciora praeparata non posse ferri; e. g. in debiliori ventriculo. Datur drachma una de die in mixturis, vel potius in massa pillularum, addito extracto ligni Quassiae, et quodam pulvere aromatico, e. g. Anisi vulgaris, stellati, Cinnamomi etc. — Pauperibus non datur.

c. *Extractum Chinae alcoholico-aquosum*. — *Extractum vinosum*, *extractum gummiresinosum*, seu *spirituoso-aquosum*, et his efficacius *resinosum*, seu *spirituosum*, evaporatione tincturae Chinae obtentum, denique multa extracta composita antiquorum dispensatoriorum non sunt officinalia.

d. *Extractum corticis Chinae novum vel Americanum*, proh dolor! in quaestu rarissime occurrens, quomodo in America paretur, non scitur; procul dubio ex optima Chinae specie ex infuso vel decocto inspissato igne, dein solis radiis siccato et tractato. Occurrit in frustis solidis, duris, rigidis, manuum tamen calore emolliendis (ut *Extractum Ratanhiae Americanum*); odor et sapor egregius testantur optimam speciem corticis et optimam rationem parandi.

e. *Tinctura Chinæ simplex*, quae fit, unam partem corticis contusi cum sex partibus spiritus vini tenuis aut potius uncias quatuor cum libris quatuor per plures dies macerando, et dein filtrando; est efficax remedium, nam alcohol est optimum Chininae et Cinchoninae menstruum, ad drachmam unam aliis mixturis addi solet.

f. *Tinctura Chinæ composita vel Elixirum robo-*

*rans Roberti Whytii*, ad quod parandum sumuntur: cortex Chineae fuscus, cortices aurantiorum, radix gentianae, Spiritus vini et aqua cinnamomi simplex; est remedium concentratum, in quo virtus roborans Gentianae et Chineae copulata et cum stimulante alcoholis et cinnamomi, a ventriculo sat facile fertur.

*g. Morsuli Chineae* e pulvere corticis Chineae, pauxillo pulv. cinnamomi, et saccharo lege artis confecti, in praxi infantum quondam in usu fuere.

*h. Syrupus Chineae*, qui fit infusum hujus vinosum cum duplo quantitate sacchari inspissando; ad remedia obsoleta spectat. Denique

*i. in officinis praeter Chininam et Cinchoninam*, quae ipsae rarius adhibentur, plura harum substantiarum et alcaloidearum cum acidis connubio existunt, inter quae communissimum et commodissimum praeparatum sistit *Sulfas chininae*, qui *paratur* e China regia; obtentam Chininam in acido sulfurico diluto solvendo, addito carbone animali a materia colorata purgando et evaporando; unde oriuntur crystalli tenues, acutae, decolorares, nitidae, saporis amari chinacei, quae in aqua parum, facilius in alchohole, minus facile in aethere solvuntur, calefactae aut tritae in tenebris lucent. Est eximum remedium, quod divinas corticis dotes in minima recludit mole, quod omni facile adaptatur formae, facileque digeratur, hinc etiam ab aegris debilioribus et sensilioribus absque incommodo feratur. Omni igitur jure laudatur et summo cum fructu adhibetur in febribus intermittentibus et nervosis lentis, in tabe nervosa, epilepsia, hysteria, vomitu chronicō e debilitate nervorum etc. Ob saporem summe amarum neque in pulvere, neque in solutione, sed optime in pillularum, rarius in boli forma exhibetur. Datur plerumque granum unum usque duo pro dosi; ita ut experientia teste ad febrim intermittentem qualiscunque formae vel typi

debellandam ordinario viginti ad triginta grana tempore apyretico consumta sufficient.

Aequale virtute febrisfuga pollet *Sulfas Cinchoninae*, priori impune substituendus, eademque dosi porrigendus.

Reliqui alcaloideorum chinaceorum sales, uti: *Murias* aut *hydrochloras* — *phosphas* — *Acetas*, *citras* et *chinas chininae* et *cinchoninae*, minus usitata in praxi medica sistunt remedia.

*Usui externo* inservit *pulvis corticis Chineae* ruditus tusus hinc inde cataplasmatibus, subtilior pulveri inspersorio, alcoholisatus dentifricio inservit, imo non nunquam clysmatibus additur. Formae fluidae tam *infusum* quam *decoctum* ad fomentationes, collutoria, gargarismata et clysteres adhibentur, uti et decoctum balneis universalibus et topicis addi solet.

Ipse etiam *Sulfas Chininae* externum admittit usum; recentiores observationes docuerunt, praeparatum hoc plagae cutis vesicantis ope prius decorticatae ad aliquot grana inspersum antifebries exeruisse vires — methodus haec recentissima *endermica* dicta, praeterea aliis a *Lesieur*, *Lembert*, *Martin* et *Lehmann* commendatur, est interno usui, ubi promptus desideratur *Chineae* effectus, uti in febribus perniciosis, nequam praefferenda.

### Copulae cum aliis remedii.

Ubicunque mera, non turbata exoptatur *Corticis* virtus, ab omni cum alio medicamento unione sedulo cavendum est; dantur tamen in praxi medica non pauci casus, in quibus connubium hocce omnino in usum vocari debet, ut aut *principalis Chineae* efficacia magis evolvatur, aut vero damnosus effectus illius impediatur. Unde tonicam et adstringentem vim *Chineae* mitigant copulae cum medicamentis emollientibus mucilaginosis, uti:

radice Salep, Althaeae, mucilagine gummi arabici etc. Ubi de restituendis materiis plasticis agitur, contemporaneus substantiarum nutrientium, uti: lactis, vitelli ovi, gelatinae animalis, aliorumve ciborum facile digerendorum usus maximas ferre solet opes. — Haud raro additur cortex peruvianus pharmacis solventibus, ut fluidisationem per haec producendam temperet, atque intra certos limites coērceat, ita cum sulfure et sulfuretis, alcalibus carbonicis, praeparatis antimonii et mercurii maximo cum emolumento connubium init. Adridet porro practicis medicis combinatio Chiae cum remediis tonico - amaris, quippe quae assimilationem ejus adjuvant, nec non vim roborantem exaltant, pertinent huc: taraxacum, eichoreum, trifolium fibrinum, gentiana, Colombo, cascarilla, Lichen islandicus etc. Summe beneficis copulis et illa cum acidis tam e vegetabili, quam e minerali regno petitis, imprimis cum acido sulfurico et hujus praeparatis accenseri meretur, et quidem maxime laudatur in resolutione scorbutica, et colliquatione putrida, quam solus cortex peruvianus cohibere non valet, ut in haemorrhagiis atonicis in erethismo systematis vasorum. Denique etiam in languore processus digestionis.

Praeter haec magis generalia Chiae cum aliis remediis connubia, illius quoque cum medicamentis, noxios ejusdem, cum primis in organis digestionis et adsimilationis effectus tollentibus, copulae ratio habenda; hinc, cum sordes primarum viarum momentum sistunt, ut diximus, Chiae applicationem contraindicans, medicamenta purgantia, uti: magnesiam carbonicam, sales tartricos, salem mirabilem Glauberi, amarum, rheum, atque praecipue salem Ammoniacum, in febribus quartanis cum viscerum abdominalium infarctibus adeo decentatum prosperrimo cum successu illi adjungunt. — Ad evitandam virtutem Chiae tonicam volatilem optimè copulatur substanciali illi hoc respectu summe ana-

logis: calamo aromatico, Cinnamomo, radice Cingiberis, serpentariae, imperatoria et angelicae, camphora, vino, alcoholi, variis aetherum speciebus et balsamis, sicut e contrario ad ipsam hanc virtutem coërcendam cum remediis erethismum compescentibus, e. g. cum nitro, digitali et aliis optime coit. Quum denique et in systemate nervoso tonicam ejusdem vim animadvertere liceat, etiam cum nervinis remediis haud raro China conjungi solet, et quidem cum volatiliter stimulantibus, uti: radice Valeriana, Moscho, Castoreo; ad depri-mendam vero efficaciam nervosam, cum narcoticis: Opio, aqua laurocerasi etc.

Reliqua, quae Cortex adhuc ingreditur cum aliis pharmacis connubia, ex lateralibus indicationibus pro-deuntia, tam infinita sunt, ut ea singulatim enumerare nec tempus concedatur, nec locus.

Liceat adhuc quaspiam formulas Chine medicas magis in usum vocari solitas in medium adducere:

### *Forma I. Infusi.*

*Rp. Pulv. cort. Chine, unc. unam.*

— — — Aurant.

— rad. Cal. aromat.

— Cort. Cinnamom. 2 dr. duas.  
drach. unam.

Inf. cum vini rhenani generosi

libra una.

Digere absque calore per sex dies

Colat. D.S.

Alle drei Stunden zwei Esslöffel voll zu nehmen.

### *2. Decoctum:*

*Rp. Cort. Chine fusi concisi  
unc. unam.*

Coq. c. aquae communis unc. sedecim  
ad remanentiam partis dimidiae.

Sub fin. coct. adde

**Rad. calami arom.**

unc. semis.

**Ebullient per breve tempus vase clauso.**

**Liquori colato unc. septem**

**fortiter expresso et refrigerato adde**

**Tinct. aromat. acidae**

drach. unam

**Syr. cort. aurant. unc. unam.**

**M.D.S. Alle zwei Stunden einen Esslöffel voll zu nehmen.**

(R u s t.)

### 3. *Pulvis:*

**Rp. Cort. Chinae fusci**

drach. sex

— Cinnamomi drach. duas

**M.f.p. div. in partes aequales duodecim.**

**D.S. Alle zwei Stunden ein Pulver.**

(M a r c u s.)

**Rp. Pulv. cort. Chineae, scrupul. unum**

**Murias ferri Ammon.**

gr. duo

**M.f.p. dentur tales dos. numero duodecim.**

**D. ad chart. ceratam. S. Täglich 4 Stück.**

(S e l l e.)

**Rp. Pulv. cort. Peruv.**

— — Aurant.

**Ligni Santali rubri**

**Carb. lign. tiliae**

**Tart. depur. āā drach. unam et semis.**

**Olei Bergamottae gutt. triginta.**

**M.f.p. D.S. Zahnpulver.**

(R i c h t e r.)

### 4. *Pillulae:*

**Rp. Pulv. Cort. Chineae fusci**

unc. unam.

**Extr. Gentian. rubr. unc. semis.**

Opii puri      gran. unum  
 Syr. cort. Aurant. q. s. ut f. pill.  
                   pond. gr. duorum  
 Consp. pulv. cort. Cinnamom.  
 D. ad Scat. S. Täglich 4mal **15** Stück zu  
      nehmen.

(Hecker.)

## Literatura.

---

- J. Douglass. Abhandlung und Nachricht von der Fieberrinde. 2 Thle.  
Nürnberg 1758 — 61.
- Murray. Arzneivorrath oder Anweisung zur praktischen Kenntniß  
der einfachen Arzneimittel. Braunschweig 1782.
- A. v. Humboldt. Über die Chinawälder in Süd-Amerika, im Ma-  
gazin der naturforschenden Gesellschaft zu Berlin. Erster Jahr-  
gang 1807.
- Pfaff. System der Materia medica, Band 7. Leipzig 1824.
- Graf. Die Fieberrinde, in botanischer, chemischer und pharmaceu-  
tischer Beziehung. Wien 1824.
- G. A. Richter's ausführliche Arzneimittellehre. Berlin 1826.
- Dulk's preuss. Pharmacopoe. Berlin 1830.
- Ph. Car. Hartmann. Pharmacologia dynamica. Vindobonae 1829.

# Theses defendendae.

---

I.

Cortex peruvianus physconias post febres intermitentes relictas optime aufert.

II.

Remedium quo simplicius, eo melius.

III.

Prognosis non de aegri, sed medici sorte decernit.

IV.

Sine China, Opio et Mercurio nollem esse medicus.

*P. Frank.*

V.

Dolor magnum naturae donum.

VI.

Arteriae non gaudent irritabilitate.

VII.

Epilepsia est apoplexia transitoria, convulsionibus juncta

VIII.

Syphilis nunc temporis jam in nostris regionibus adeo  
mitis, ut plurimis in casibus tuto, cito et jucunde  
sine grano Mercurii sanari possit.

IX.

Hepar et pulmo eandem habent functionem.

**X.**

Morbus puerperalis ab initio semper est inflammatoriae indolis.

**XI.**

Quod cito dignitur, cito perit.

**XII.**

Post coenam sit quies.

**XIII.**

Clima fons praecipuus characteris populorum.

**XIV.**

Minor amputationum in nosodochiis numerus, chirurgiae progressus specimen.

**XV.**

In febribus continuis, si partes externae frigent, internae uruntur, lethale.

*Hippocrates.*

**XVI.**

Absurdum est medicamentum universale, etsi sit aqua.

**XVII.**

Medicus cunctator felicior audaci.

**XVIII.**

Quo simplicius vivis, eo melius valebis.

**XIX.**

Phthisis pulmonalis conclamata insanabilis.

NARODNA IN UNIVERZITETNA  
KNJIŽNICA

C08155



00000320989

VENDEBOMAE.

Typis Caroli Ueberreuter.

1841.